

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

IX. De sanctis qui cum Christi resurgente surrexerunt.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

VIII. DE VERITATE SANGUINIS CHRISTI QUI DE LATERE EJUS
POST MORTEM FLUXIT.

VI. 24.

M IHI in gravi ægritudine laboranti manifestavit se, *infirmi-
tatis humanæ singulare præsidium*, Jesus Christus, ostenditque mihi vulnus lateris sui dicens: « Aspice et attende quam diris me doloribus affecerunt. » Et dixi ad eum: « Cur, o Domine, tam immania tormenta pati voluisti, cum in tua pura oratione pretiosæ guttæ decurrentes in terram ad reparationem totius orbis suffecissent? » Respondit mihi Dominus: « [Patri meo non suffecit]. Omnis enim paupertas, labor, passio, despectio portam cœli tangendo pulsaverunt, quousque sanguis Cordis mei effusus *per lanceam militis* terram irroravit. Tunc reserata est janua regni, *et patet ostium omnibus viatoribus desiderantibus introire.* » Et dixi ad Dominum: « O Domine, cum hic de tuo latere sanguis cum aqua flueret, mortuus extitisti, quomodo ergo de mortuorum cordibus sanguis effluit? » Respondit mihi Dominus: « Corpus quidem meum tunc humanitus morti succubuerat, cum sanguis mei Cordis de latere exanimis corporis effluebat; sanguis quippe ille virtute divina sic emanando fluxit, quemadmodum lac quod de virginalibus uberibus Matris suxi. Immutabilis divinitatis majestas omnibus membris corporis mei unita, sic in morte perstitit ut post resurrectionem resumpsit, anima autem mea post diuturnum humanitatis mœrorem in divinitatis splendoribus requievit. Spiritualis vero meæ humanitatis imago dulcis, in idea majestatis suaviter omnibus supernatans, æternaliter eminebat.

IX. DE SANCTIS QUI CUM CHRISTO RESURGENTE SURREXERUNT.

V. 9.

I N die qua Dominus noster Jesus Christus, triumphator mortis, gloriose ab inferis resurrexit, resumptoque corpore clausoque sepulchro mirabiliter egressus est, Judæi et Gentiles confusione operati sunt, et ignominia contabuerunt;

omnesque vere fideles æterni Patris complacito, Filii Dei potentia benedicti, Sancti Spiritus doctrina illustrati amplius claruerunt. Surrexerunt tunc cum Domino septuaginta viri. Isti præcepto divino valde se subjecerant. Hi dum in prælio cum Deo perstitissent invicti, fideles et justus sunt inventi; dum tentati in siti gravissima aquam ad os manibus projecerunt. Horum animæ adeo sic sunt corporibus restitutæ, ut eos mortales fuisse homines non lateret. Sapor vero immundi fomitis, quem Adam ex pomo vetito momordit, qui posteritatis omnia membra penetravit, sanguisque maledictus, qui per Evam omne mulierum genus infecit, illis corporibus non adhæsit. Debebant enim divinitus cum ipso testes fieri, quod mors æterna mortua suum perdidit tyrannicum dominatum; ideoque deinceps mortui non sunt quia expertes fomitis extiterunt. Verumtamen ipsorum animæ a corporibus sine mortis cruciatibus sunt divisæ. Reservantur autem [corpora eorum] cum decore super aerem et super sidera collocata. Et cum more humano non sunt denuo mortui, ideo eorum corpora postmodum in terra recondi vel sepeliri non debuerunt. Adam omnesque filii ejus fomitem hunc retinuerunt, sed et Eva cum filiabus, verecundiam sanguinis maledicti. Hoc est solummodo quod exorbitare facit carnem nostram, sensusque nostros inclinat obscurando, tandemque nobis commanens, amaræ morti subjicit et prosternit. Jesus Christus Dominus ab æterna morte nos eripuit, et æternitatis nobis aditum per pœnitentiam præparavit. Alias tamen pœnalitates non abstulit, *sed propter exercitium virtutis reliquit*, tribuens consolationes, consilia, doctrinam, per quæ infirmitatis hujus molestiam evadere et ad sanitatem convalescere valeamus.

X. DE GLORIOSA FILII ASCENSIONE DUM ASCENDERET
AD PATREM.

REVERTENTEM ab exilio Pater æternus post triumphum Filium cœternum sic excepit congaudendo, prorumpens in jubilum: « Advenisti, venerabilis, consubstantialis

V. 27.